CARMINA

QUINTINI GUANCIALI

ITALIAE REPARATAE SALUTIS

ANNO PRIMO

Carmina non prius
Audita.
Horat. Lib. III.





NEAPOLI MDCCCLXI
EX TYPOGRAPHIA EM. ROCCO

DE REGNO ITALICO



CARMEN

En tandem, utque erat in votis, post aspera fata
Concessum lacerata diu distractaque membra
Colligere Italiae, et miserae solatia ferre,
Et revocare animos, et diae frontis honores.
Et vox altisonans Garibaldi increbuit ore:
Ite procul, procul Italia vos ite, profani,
Et vos, carnifices hominum, qui sceptra tenetis
Torquentes et corda metu, et caligine mentes!
Sat miserae Italiae luctus! Sat, vindice nullo,
Et turpes ignominias, et barbara jussa
Perpessi !... Et quaenam est hominum lex, atque deorum,
Quae pecudum nos more jubet ditione teneri,
Sanguinis et calidum e jugulis effundere flumen
Principis arbitrio? Procul hinc, procul ite, tyranni,
Unaque sit tandem Italia, uno principe digna;
Et nova libertas nobis transfusa latino
Sanguine, facta patrum referat, sanctumque senatum.
Assensere Itali proceres, motuque repente
Civico inest animis amor unus, et una cupido
Pugnandi, et belli caussae, et monumenta doloris

Haud unquam exciderant! Fit bellicus ardor ubique,
Irradiant fulgore novo vexilla per auras,
Et collecta manus juvenum se credere coeptis
Audet; sed veluti flamma exagitantibus euris
Per stipulam, hos inter medios Garibaldus anhelus
Fertur, et evolvens flammantis pectoris aestus
Urget ad arma viros, jaculentur fulmina dextris;
Atque cito horribili reboant tormenta fragore
Bellica, et hinc illinc enses, et fusile plumbum
Pectora trajiciunt, et lethum caede cruenta
Hostibus immittunt. Gignit miracula martis
Libera vis animi, stimulos datque aemula virtus;
Et trepidant, queis dulce jugum, gaudentque catenis,
Servitioque premi nunquam meliora volentes!
Et trepidant monitu rerum, et pallescere vultus
Vidimus exangues... Sed contra audacia crevit,
Et patriae illabens animis tunc numen amicum
Suggerit ultrices iras, et fortiter ausus;
Et tandem invisae tremulis cecidere coronae
Verticibus, meritas possint ut solvere poenas
Heu nimium fuso fraternis sanguine dextris!

Quis tamen Italiae princeps nunc dignus haberi,
Cui sceptra, et fidente animo committere fata?
Non equidem cupimus certa sine lege vagari,
Perque nefas vetitum ruere, et mens libera fraeni
Impatiens juris sit nulli obnoxia poenae;
Sed regis, populique datae libramine sortes
Versentur, tum quaeque suo stet firma potestas
Principio, et nulli arbitrio subjecta vicissim.
Et regem nobis legere est concessa facultas

Libertatis honos ut vult, populoque volente
Francorum nunc cuncta throno regit arbiter unus *,
Alternatque vices revoluto cardine rerum.
Sic atavûm regum et clara de stirpe Sabaudûm
Princeps, auspiciis jam per suffragia laetis,
Noster adest, nam tuta fides, et bellica virtus
Saepius ignescens medios affulsit in hostes:
Ipse animos explet certo libramine rerum,
Et circum solium sociat nos foedere amoris,
Consilioque viri **, et mentis se robore firmat.
Gloria quanta manet populos, hoc auspice Rege,
Et quantus tibi, Parthenope, splendorque decusque
Undique collectis Italis! Sed fama per aevum
Non ingrata suos astris aequabit honores!

Atque utinam resonent nunc altae moenia Romae
Incoeptis tantis, et maximus ille Sacerdos
Consilia in melius referat, tum possit et ipse
Palladium, vittasque gerens anteire phalanges
Congressas sub signa Crucis! Penitusque fugatis
Hostibus adriacis, post tot discrimina, ab undis,
Possimus tandem Venetis e turribus altis
Dicere complexi unanimes, plausuque frementes:
Salve, magna parens, jamque una atque integra salve
Italia! O longe tibi sic majora reservent
Fata deûm! Et populo ut quondam stupefacta latino
Stet centum visura tuos Europa triumphos!

* Napoleo III.

** Cavour.

POSTRIDIE KALENDAS IUNII

IN REGIO ARCHIGYMNASIO PARTHENOPAEO

AD IUVENES



ODE

Vos hic sub altis Palladis aedibus
Praesens virorum robur, et invida
Oblivione vindicata
Vos patriae studiosa pubes,

Scitis quid alma luce micans Dies
Nunc festa poscit? Libera non prius
Per vota sacramentum, ut omnes
Pro patria moriamur, hostis

Si quis lacessit dissociabili
Nos impetu ; et perrumpere foedera
Si tanta molitur, tumetque
Adriacas medias per undas,

Vestras juventus, et patrius vigor
Dextras obarmet; vix litui strepunt,
Ad arma victrices ad arma
Palladiae properent phalanges.

Noscat quid et mens itala, quid manus
Edocta Martis sub penetralibus,
Quid vis fideli temperata
Consilio valeat sub armis.

Pugnata campis praelia fortiter,
Devota morti pectora liberae
Testor recenti, et sub minacis
Borboniae sonitum ruinae;

Crevitque virtus sanguine pulchrior,
Sicana pubes, atque Calabriae
Gens aestuosae, spes et omnis
Italiae monumenta famae

Dedere fortes sub Duce, fervidas
Qui martiales sustinuit vices,
Atque ipse pugnas nunc tremendus
E scopulo meditatur acres.

Sed ista pacem conciliet Dies,
Nostraeque ne sit laetitiae modus,
Regique plaudentes Sabaudo
Vocibus hic iterate crebris:

Invicte Princeps! Parthenope tuae
Se tradit umbrae: tu nova civium
Tutela: regnantis, patrisque
Excipe promeritos honores.

IN OBITUM

CAMILLI BENSI COMITIS CAVORTII



ELEGIA

Nil tamen hoc habuisse viro plaeclarius in se,
Nec sanctum magis, et mirum, carumque videtur.
Lucr. De rer. nat. Lib. 1.

Vos mecum, o Musae, sacras accestis ad aras,
  Atque novos juvit tunc aluisse focos *;
Perque italas urbes nuper memorabile munus
  Festa Dies firmans plectra modosque dedit **.
Quae nunc cura animos tangit, quae causa cupressi
  Urget ferali cingere fronde comas?
Vos jubar aeternum, Musae, vos flamen amoris!
  Vestra per obscuras lux micuit tenebras!
Vos quondam abreptas mentis pernicibus alis
  Egit amor Vatem per tria regna sequi;
Atque per infernas aedes, perque astra volutae
  Quidquid saecla mali, quidve tulere boni

* De Regno Italico — Carmen.

** Postridie Kalendas Iunii — in Regio Archigymnasio Parthenopaeo — Ode.

Nostis, et irarum causas, unde itala tellus
Civibus heu nimium! tunc laniata suis,
Et vitia, atque odia, et populis quot bella Tiarae,
Utque per Ausoniam seditionis erant!
Hinc Superos votis, hinc flectere fata, sub uno
Ut societ natos tegmine matris amor.
Et tantum vobis tunc omen fata dedere
Hoc adamanteis cernere posse notis.
Et Superi sperata diu jam tempora tandem
Debita complerant, integra et una foret
Italia! et Civis, qui hominum non stirpe creatus,
Sed Divûm visus sanguine, quem voluit
Omnibus ornatum natura excellere rebus,
Perficere hoc sumpsit grande salutis opus!
Concessumque italas vos laetas ire per urbes,
Quas huc usque recens junxit amica fides,
Et celebrare choros circum vaga littora Dorae,
Quo Padus, atque suis quo fluit Arnus aquis
Psallere carminibus vestris, et euntibus ultra
Spes, animique vigor crevit; et hinc properae
Incessu jam jamque oras prope Tibris, et ille
Occidit heu! Civis maximus, et citius!
En, Musae, quae cura animos sub imagine lethi
Nunc habet, et luctus causa perennis erit.
Ipse Prometheae concussit semina flammae,
Atque elementa novae tunc micuere facis,
Et docuit quae tela vibret ratio, unde tyranni
Purpurei metuunt, et sua corda domant,
Nec fallit populos simulati juris imago,
Pectora nec terret caeca superstitio.

Ipse hic ante oculos praesens adstare videtur,
Atque arcens sacro limine vulgus iners,
Os italas aperit sortes divinitus afflans,
Atque novas fatum cogit obire vices;
Et sensus animosque trahit, quo fertque voluntas
Allicit invitos vox sua verba sequi.
Pertentatque animos regum, penetraliaque intus
Volvitur, atque animis abdita quaeque legit
Libera mens, sociatque novi moderaminis arte
Gentis jura suae, et principum amicitias.
Atque per Europam Gallis, et nota Britannis
Multa viri virtus fulsit, et ingenium:
Ostendit, populos saeclorum ab origine prisca
Informasse rudes moribus Italiam!
Et quot pro patria crudeli caede perempti
Effudere animas sanguine, et ipsa simul
Quantum relligio potuit suadere malorum
Quum lento vivos torruit igne rogus!...
Quantus honos illi! atque italo plaudente Senatu,
Et Proceres inter praemia digna tulit.
Sed nimium Superis haec nostri gloria saecli
Visa potens! veriti forsitan italicum
Ne virtute sua, mutatoque ordine rerum
Oceanum hic ultra tenderet imperium.
Sed si tanta premit, Musae, nunc causa doloris,
Fertque super tumulum flebilis aura sonos,
Vos tamen et revocate animos, et corde timorem
Pellite, nam nostro pectore flamma viget
Illius, atque suae vulgata oracula mentis
Invaluere italis insita pectoribus,

Atque animis accensa flagrat simul ipsa cupido,
  Propositumque tenax urget, et unus amor.
Ibimus et tandem Capitolia ad alta Quiritum,
  Ibimus, atque illuc nos vocat alma parens,
Ibimus, et numeros inter, laurosque virentes
  Civis io magna voce triumphe! canet.

